

**DISSERTATIO**  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**SALICINA,**

QUAM  
ANNUENTE  
INCLYTA FACULTATE MEDICA  
REGIAE SCIENTIARUM UNIVERSITATIS  
HUNGARICAE

PRO  
**DOCTORATUS LAUREA**  
RITE OBTINENDA  
CONSCRIPSIT

**GABRIEL PEKAROVITS,**  
Hungarus Oroszlamos-Torontaliensis.

---

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universitatis  
majori die 9na Maji 1836.

---

PESTINI.  
TYPIS J. M. TRATTNER-KÁROLYIANIS.  
IN PLATEA DOMINORUM N<sup>o</sup> 612.

MAGNIFICO AC SPECTABILI

DOMINO

SABBAE TÖKÖLY

DE KEVERMES,

EQUITI AURATO, SACR. CAES. ET REG. APOST. MAJESTA-  
TIS A CONSILIIIS, JURIS UNIVERSI DOCTORI, COMPLURIUM  
INCLYTORUM COMITATUUM TABULAE JUDICIARIAE  
ASSESSORI, &c. &c.

**VIRO**  
**AVITA GLORIA,**  
**SPLENDIDIS MAJORUM MERITIS,**  
**SCIENTIA, HUMANITATE ET LIBERALITATE**  
**INSIGNI,**  
**MAECENATI SUO MUNIFICENTISSIMO,**  
**FORTUNAEQUE PROMOTORI**  
**GRATIOSISSIMO,**  
**IN**  
**IMI CULTUS ET VENERATIONIS,**  
**NEC NON PERENNIS GRATITUDINIS**  
**MONUMENTUM**  
**HASCE LABORUM SUORUM PRIMITIAS**  
**D. D. D.**

*devotissimus Auctor.*

## P R O È M I U M.

---

**I**nnumera a celeberrimis viris instituta experimenta eximiam *Salicinae* contra diversos morbos, sed imprimis contra febrim intermittentem efficaciam sufficienter jam demonstrarunt; eo tamen non obstante, usus praestantissimi remedii hujus inter practicos adeo rarus est, ut, ne proxime oblivionis tenebris sepeliatur, merito timor exoriatur. Hac vero ratione multis Europae provinciis, sed imprimis carae patriae nostrae, pessime consuli, evidens est. Si enim in hac, una ex parte cum ingenti februm intermittentium numero colluctante; ex altera vero grandi ubique salicum copia gaudente, *Salicinae* usus non negligeretur: non tantum ingentes illi, quos china exotica causare solet, sumtus evitari; sed etiam ars medica domestica ab eadem extranea independentior reddi, remediumque pro morbo regno inimicissimo, omni tem-

pore, omnibus sub circumstantiis, toga scilicet aequae ac sago, facillimo negotio praesto haberi posset. Haec dum saepe saepius serena mente recolerem, occasione Dissertationis Inauguralis *Salicinam* pro objecto sumere proposui: quod et jucundus facio, sperans fore collegas de efficacia remedii indigeni certiores redditos, idem suo tempore in usum vocaturos, sicque immanibus, quos china exotica causat, sumtibus, pauperes ad minimum aegrotos, haud amplius obruturos. Rem quidem paucis absolvendi animus est; neque tamen omnium, quae de remedio scitu digna videntur, communicandorum conatus deficient. Praemissa itaque definitione, primo de conspectu remedii historico, dein de ejus characteribus praeparandique modo, demum de usu ejusdem medico acturus sum.

---

# S a l i c i n a

**S**ubstantia vegetabilis, indifferens, h. e. nec acida, nec alcalina indole eminenti in gradu reagens, e pluribus salicis ac populi speciebus elicienda, *Salicinae* nomine insignitur.

## I.

### Conspectus Historicus.

Occasionem detectioni substantiae hujus celebris *Veronensis* chemicus *Rigatelli* dedisse videtur. Illic suum sulfatis chininae surrogatum, quod, qua arcanum contra febrim intermittentem, sub nomine *Salis amari anti-febrilis*, quatuor jam annis laudibus in coelum extollebat, anno 1826 Scientiarum Academiae *Veronensi* obtulit, ea cum petitione, ut eadem commissionem, plantam, modumque, quo ille antifebrile remedium suum ex eadem elicit, investigaturam denominaret, eo fine, ut reliquis in secreto retentis, testimoniis suis firmare possit: 1-mo plantam, remedii matrem, in universa Europa indigenam, ingenti ubique crescere copia; 2-do remedium ex ea modo admodum simplici, quantitate magna, suntibusque multo minoribus,

quam sulfas chininae ex cortice chinae, elici; 3-to remedium nullas nocivas qualitates possidere, nec non ex connubio acidi cujusdam cum basi quadam vegetabili constare; 4-to remedium non pulverisatum sequentibus gaudere proprietatibus: indole terrea, colore rubello, sapore amaro-adstringente, odore aromatico; 5-to illud, in aqua facile solubile, sulfatem chininae amarore superare, virtutem ejus antifebrilem perfecte adaequare, in omnibus proin morbis, in quibus china, praeparataque ejus indicata sunt, effectu optimo in usum trahi posse; 6-to denique illud sulfati chininae, ob exiguum, quo venit pretium, merito praefendum esse.

Jam anno 1825, uno scilicet citius, quam haec per *Academiam Veronensem* confirmarentur, *Fontana*, *Pharmacopoeus Lazizae*, privata fors notitia de proprietatibus arcani *Rigatelliani* edoctus, substantiam quamdam ex cortice *Salicis albae* extraxit, primusque *Salicinae* nomine insignivit; ille tamen neque proprietatum ejus, demta ea, quod cum acidis connubium inire valeat, neque praeparandi methodi mentionem quampiam fecit.

Multo splendidiora de remedio hocce merita magni nominis chemicus *Buchner* reportavit; postquam enim ille *Rigatellii* arcanum examini chemico subjecisset, illud ex substantia quadam resinosa, vegetabili-terrea, cum sulfate calcariae juncta, constareprehendit; ut ergo eam detegeret, diversas substantias vegetabili-terreas, et inter illas etiam plures salicis species pervestigavit; nec irrito conatu: anno enim 1828 ex iisdem substantiam quamdam amaro-adstringentem, odoris balsamici, salicini, in aqua, alcohole et acidis facile solubilem, forma crystallorum acicularium distinctam,

pro nunc a mucositate, tannina, principioque colorante haud separabilem extraxit, *Salicinaeque* nomine ornavit. — Tardius eidem et *Salicinam*, principio colorante demto, omnibus inquinamentis liberam, imprimis autem e *Salice incana* et *Salice vitellina* sistere successit, qui etiam sequente anno, scilicet 1829 tres diversas eam praeparandi methodos, nempe: ope albuminis, hydratis calcis, nec non acidi sulfurici, publici juris fecit.

Interim, dum chemici in diversis Europae provinciis, imprimis autem in Italia, Gallia et Germania, felici *Buchneri* detectione animati, in investigandis corticibus salicum desudarent, *Leroux*, magni nominis Professor *Parisiensis*, mense Junio anno 1829, ex cortice *Salicis helicis*, *Salicinam* puram, ipso principio colorante liberam, primus elicuit. Haec erat formae crystallinae, coloris albi, consistentiae admodum durae, formae perlaceae; ceterum iisdem, quibus et *Salicina Buchneri*, gaudebat proprietatibus. Initio eidem pro alcaloideo, cum acidis in sales neutros uniendo, visa est; serius tamen eandem conubium cum acidis recusare, imo per acida decomponi, observavit. Ex 15 libris corticis sicci l. circiter unciam *Salicinae* purae obtinuit. Eodem anno *Leroux* detectionem suam Regiae Scientiarum Academiae *Parisiensi* obtulit. Haec viris celeberrimis *Gay-Lussac* et *Magendie* investigationem ejus commisit, quorum relatione, confirmata observatione jam a *Leroux* facta, *Salicinam* scilicet per acida decomponi, eadem ad momentosissimas, quae in medicina unquam factae sunt, detectiones relata fuit. Sic itaque *Leroux* meritum detectionis praestantissimi remedii retulit; quamvis *Salicina* ejus, modusque eam praeparandi ab iisdem *Buchneri* haud essentialiter dif-



ferat: huic proin prioritas detectionis omni jure competat.

Anno 1830 *Gay-Lussac*, *Pelouse* et *Braconnot* suas *Salicinae* descriptiones publici juris fecere. Posterior praeterea adserebat se *Salicinam* non tantum ex corticibus *Salicis fissae*, *amygdalinae* et *helicis*, sed etiam ex iisdem diversarum *Populi* specierum, imprimis autem *tremulae*, *tremuloides*, *albae* et *graecae* facili negotio elicuisse; in *Salice* tamen *alba*, *triandra*, *fragili*, multisque aliis, frustra eam quaesivisse. Tardius *Peschier* quoque descriptionem *Salicinae* dedit. Ille, cui et *Buchner*, *Keller*, ac *Hebergen* accedunt, eandem inter alcalia, cum acidis in sales neutros unienda, refert, describitque sulfatam, muriatam, nitratam et acetatam *Salicinae*; uniones tamen hae multifariis experimentis sufficienter jam refutatae sunt. — Serius diversae simpliciores remedium praeparandi methodi propositae fuerunt. Meruere de hoc objecto imprimis sequentes: *Meylink*, *Nees van Esenbeck*, *Gruber*, *Tischauer*, *Duflos*, etc.

In usum therapeuticum *Salicinam*, secundum *Leroux* paratam, *Parisiensis* medicus *Miguel* primus vocavit. Ille eadem contra febres intermittentes atrocissimas, ipsi sulfati chininae rebelles, nec non, qua remedio tonico, contra debilitatem organorum digestionis, anorexiam, chlorosim, fluorem album, etc. successu felicissimo usus est. — Post *Miguel*, *Bally* eandem contra febrim quotidianam duplicem, et post hunc *Magendie*, *Husson*, *Gerardin*, aliique medici *Parisienses* contra febrim intermittentem adhibuere. Tentabatur dein *Salicina* promiscue in diversis Europae provinciis, eximiaque virtus illius plenis ubique buccis cantabatur. Inter reliquos, anno 1831 *Buchner*,

*Monachii* Professor, efficaciam ejus propria experientia confirmavit. Hic scilicet jam ab anno 1808 quotannis febris intermittente quotidiana larvata laborare consuevit, quae initio quidem pulveri chinae, tum vero sulfati chininae cedebat; serius tamen adeo pertinax evasit: ut ad eandem sufferendam cum sulfate chininae ad 5. gr. pro dosi ascendendum erat; quae quantitas cum haud immodicam pectoris anxietatem post se traheret, decrevit *Buchner*, proximo paroxismo locum habente, *Salicinae* opem implorare, a qua etiam mense Decembri 1831 tam felicem expertus est effectum, ut proposuerit, se nunquam amplius aliud aliquod remedium contra febrim suam adhibiturum.

Praeter experientiam propriam communicat *Buchner* etiam observationes quasdam a *Graff*, *Linz* et *Stegmayer*, medicis *Darmstatensibus*, circa *Salicinam* institutas, quae omnes eximiam antifebrilem remedii virtutem luculenter confirmant. Prior praeterea se a *Salicina* etiam in diarrhoeis generatim, sed praecipue in diarrhoea colliquativa, salubres effectus observasse testatur. Idem et *Stegmayer* expertus fuisse videtur, secundum illum enim *Salicina* in febribus lentis, evacuationibus colliquativis stipatis, in magno torpore et immoderata secretionem membranae mucosae pulmonum et tubi intestinalis, remedium efficit nulli facile secundum. Morbi, in quibus hoc ex respectu *Salicinae* usus instituebatur, erant: catarthos chronicus, phthisis pituitosa, diarrhoea chronica, colliquativa, scrophulosis etc.

Anno 1831 *Berolini* quoque in diversis institutis *Salicinae* virtus contra febres intermittentes tentata est. *Hufeland*, cujus sententiae et

*Amelung* accedit, asserit illam omni in casu sulfatis chininae vires haud agere posse: nec tamen deesse casus, in quibus ad illam confugere dira necessitas svaderet.

Tandem et *G. E. Stam*, cum *S. J. Galama van Sneek* observationes suas circa *Salicinam* publici juris fecere. Posterior 7 adfert casus, quorum Ius, 2us, 5us, 6us et 7us virtutem *Salicinae* antifebrilem confirmant; 3us tamen eidem minus favere videtur. *Galama* de cetero magnis eam laudibus in incipiente phthisi extollit; in diarrhoea tamen et leucorrhoea exiguis, aut plane nullis. *Stam* eadem contra febrim intermittentem felicissimo; contra blenorhoeam tamen vix conspicuo usus est effectum.

Sed memoratu dignissimae sunt observationes anno 1832 et 1833 in clinico *Pragensi* circa *Salicinam* institutae, secundum has enim ea non tantum febres intermittentes, ingentibus chininae sulfuricae dosibus rebelles, sustulit; sed etiam in cephalicis et prosopalgiis rheumaticis remedium effecit, cui nullum facile par dici potest.

Plurimas demum circa *Salicinae* efficaciam observationes *P. J. Blom* instituit, ille 40 diversorum morborum, imprimis vero febrim intermittentium, fluorum alborum, diarrhoearum chronicarum, phthisium pulmonalium pituitosarum etc. historias adfert, quarum plurimae eximiam *Salicinae* virtutem in apricum ponunt.

Nec Transilvaniae medicis remedium intactum] mansit. Dr. Szöts Claudiopoli experimentis cum eodem institutis, tantam id efficaciam possidere deprehendit, ut nullo alio remedio amplius contra febres intermittentes uti velit.

Hisce conspectui remedii historico finem impono. Nunc ad characteres ejus, modumque praeparandi transitum faciamus.

## II.

### Praeparandi modus et characteres.

Continetur *Salicina* fere in omnibus *Salicum* speciebus, et quidem non tantum in corticibus earum, sed etiam in junioribus ramis, foliis, nec non floribus femineis, item in corticibus diversarum *Populi* specierum; maxima tamen quantitate in cortice *Salicis helicis* et *Populi tremulae*. Cum *Salicina*, prout infra ex characteribus eius patebit, acido sulfurico concentrato tractata carmineo-rubrum imbuat colorem, eodem, tamquam reagentem, ad praevie determinandum, utrum in cortice *Salicis*, aut *Populi* cujusdam *Salicina* contineatur, nec ne? examen institui potest, et quidem sequenti ratione: cortici recenti denudato aliquot guttae acidi sulfurici concentrati instillantur, si colorem rubrum imbuat, *Salicinam* tenet, si non, eadem caret; vel, media circiter uncia corticis coquitur cum sufficiente quantitate aquae, decoctum obtentum Imo cum aceto lithargyri, deinceps cum sulfure hydrogenato, aut ammonia carbonata digestum, ac demum filtratum cum acido sulfurico concentrato tentatur, si rubro notetur colore signum est *Salicinam* illud tenere, et vice versa.

Praeparandi methodi diversissimae a diversis autoribus, imprimis a *Buchner*, *Leroux*, *Braconnot*, *Peschier*, *Nees van Esebeck*, *Meylink*, *Keller*, *A. S. Tischauer*, *Gruber*, *Duflos*, etc. propositae fuere; omnibus tamen simplicitate et facilitate eadem a *Duflos* commendata palman praeripit, ideo eandem solum commemorasse sufficiat. Est vero sequens: cortex conscissus ter leniter in suf. q. aquae coquitur, obtenta decocta ad triplum ponderis adhibiti corticis concentrantur, dein cum  $\frac{1}{3}$  ponderis oxydi plumbi elutriati, subtiliter pulverisati, per 24 horas, frequentius exagitando, digeruntur. Fluidum sic obtentum clarificatum filtratum ad consistentiam sirupi inspissatur, ac loco quieto frigidiusculo reponitur. Post aliquot dies in fundo crystalli exorientur, quae iterata solutione et crystallisatione depurantur et servantur.

Exhibet *Salicina* crystallos prismaticas aciculares, coloris nitide albi, saporis intense amaro-adstringentis, in 14 aquae frigidae et totidem alcoholis; haud tamen in aethere, oleo, oleis aethereis, olco therebinthinae solvendas. Acido sulfurico concentrato decomponitur, coloreque carmineo-rubro notatur, quae quidem proprietas eidem cum morphina et veratrina communis est; neque tamen signa desunt, queis, quaenam harum substantiarum in solutione contineatur? facili negotio detegi possit; si nempe ejusmodi concentrata rubra solutio sufficienti aquae quantitate diluatur, *Salicina* in solutione praesente, deposito sedimento rubro — *Rutilina* dicto — solutio paulatim decoloratur; ubi, morphina in solutione praesente, eadem rubra persistit; veratrina vero in solutione contenta, eadem abs-

que deposito sedimento decoloratur. Reliquis acidis mineralibus concentratis tractata *Salicina* absque incoloratione decomponitur, atque in pulverem album mutatur. Per tincturam gallarum, tanninam et acetum lithargyri e solutione aquosa non praecipitatur. Cum aqua calcis cocta non saturatur, oxydumque plumbi haud solvit. In temperatura aquae bullientis funditur, refrigerata massam crystallinam efformat, aquamque hoc intra tempus nullam dimittit. Altiore temperatura colorem citrinum imbuat, resinaeque ad instar fragilis evadit. 100 ejus partes continent secundum *Duflos*: 55, 49 carbonii, 6, 38 hydrogenii, et 38, 13 oxygenii; secundum *Pelouse* vero et *Gay-Lussac*: 55, 491 carbonii, 8, 184 hydrogenii, 36, 425 oxygenii.

Haec de characteribus praeparandique modo *Salicinae*, nunc quid de usu ejus medico notandum videamus.

### III.

## U s u s M e d i c u s .

Cum *Salicina* intense amaro et ex parte adstringente sapore gaudeat, jam a *priori* locus ei inter amaro-adstringentia assignari, *primaque* illius *virtus tonica roborans* dici potest. Experientia hanc illius virtutem luculenter confirmat, illa enim ventriculum roborat, appetitum cibi acuit, digestionem promovet, etc. Bono itaque successu adhiberi potest in debilitate ventriculi

anorexia, chlorosi, praesertim apud individua cachectica, phlegmatica, muco copiosiore abundantia. Haec tamen illius virtus tonica valde transitoria est, et nonnisi repetitus usus majorum dosium, 10 scilicet 20 — 30 granorum pro nyctemero, constantem quamdem emendationem et roborationem provocare potest. Contra ipsum spasmum ventriculi, imprimis in connubio cum subnitrate Bismuthi, insignem efficaciam ejus *P. J. Blom* laudat.

Sed multo meliori effectu adhibetur *Salicina* contra febres intermittentes, adeo, ut *secunda*, eaque *praecipua illius virtus antifebrilis* dici mereatur. Hanc illam possidere ipsa natura inculcare videtur, salices enim — parentes ejus — ad lacus et stagna, ubi febres intermittentes nunquam perfecte exstinguuntur, maxima quantitate prorescere solent, adeo, ut antiqui proverbii: *ubi morbus, ibi remedium*, veritas novitus confirmari videatur. Observationes virorum celeberrimorum, prout ex historico conspectu patet, hanc illius virtutem extra dubium ponunt. *Miguel*, qui eam primus contra febrim intermittentem in usum vocavit, adserit eam subinde febribus intermittentibus, ipsi sulfati chininae rebellibus, debellandis sufficere. Pugnant pro hoc etiam observationes a *P. J. Blom* factae, nec non et eae, quae anno 1832 et 1833 in clinico *Pragensi* institutae sunt.

Resultatum, quod ex observationibus virorum clarissimorum de virtute *Salicinae* antifebrili paucis duci potest, sequens fere est: *Salicina non tantum virtute antifebrili sulfati chininae nec minimum cedit, quin imo in sequentibus casibus eidem palmam praeripit; et quidem:*

1-mo In febribus intermittentibus individua debiliora, proluxioribus sudoribus obnoxia, adfligentibus, tunc enim moderata dosi propinata non tantum digestionem promovet; sed etiam sudorem nimium coërcet.

2-do In febribus intermittentibus individua plethorica, sub, aut post paroxysmum congestionibus versus caput obnoxia vexantibus, has enim majori etiam quantitate, & scilicet gr. pro dosi capta laud auget.

3-o. In febribus intermittentibus recidivis, praesertim si organismus aegroti, ob longiorem usum, sulfati chininae adeo asvetus sit, ut nec majori ejus dosi ad reactionem provocetur; tunc natura novum quasi stimulum, cui minus asveta est, exposcere videtur.

4-to. In febribus intermittentibus apud individua debilitate ventriculi notata locum habentibus, a ventriculo enim multo facilius, quam chinina, fertur.

5-to. In febribus intermittentibus, quae praegresso caractere inflammatorio deleta, eundem lentum mucosum sensim adipiscuntur; praesertim si aeger phlegmaticus, linguam impuram, mucoviscido tectam offerat.

6-to In febribus intermittentibus mucosis, imprimis in ulteriore mali decursu, ubi status irritativus cessavit, et potius passiva membranarum mucosarum secretio locum habet; hoc enim in casu, non tantum membranas mucosas roborat; sed etiam paroxysmum multo citius et tutius, quam quodcun-



que aliud remedium suffert. In ipsa febris mucoso-nervosa insignem ostendisse efficaciam fertur.

7-mo. Denique in febribus intermittentibus cum desorganisatione viscerum conjunctis, imprimis si febris hectica praesto sit, viresque aegroti per sudores nocturnos exhauriat.

Præter febres intermittentes, etiam in febribus continuis remittentibus *Salicinae* efficacia a *P. J. Blom* laudatur, praesertim si eadem in individuis debilioribus, phlegmaticis langvidiora digestionis organa habentibus, locum habeant. — Sed multo majoribus encomiis illam extollit in febribus mucosis, verminosis ac hecticis, in quibus eam non tantum antifebriliter agere; sed etiam functionem membranarum mucosarum corrigere, nec non prolixiores sudores restringere adserit.

*Buchner*, et post eum *Graff*, *Linz* et *Stegmayer* felici, uti vidimus, successu *Salicinam* etiam contra catarrhum chronicum, phthisim pituitosam, diarrhoeam chronicam et fluorem album adhibuerunt; haecque illius *virtus*, *membranas* scilicet *mucosas salutaris modo adficiens*, qua *tertia* considerari potest; quae minime admiranda est: constat enim ipsos cortices salicis, certe non alio principio, quam *Salicina* efficaces, contra profluvia a debilitate provocata, aut per eam sustentata, jam dudum effectu optimo adhiberi. In genere *Salicina* non tantum membranas mucosas in adaucta mucii secretionem ab atonia partium proveniente, quod in phthisi pituitosa et fluore albo observare licet, roborat; sed etiam abnormem partium memoratarum

functionem corrigit, quod in dyspepsia mucosa et febris lenta mucosa luculenter videre est.

*Linz* et *Stegmayer* praecipue eam in phthisi pituitosa, et quidem sub ipso stadio colliquationis laudant; interim *P. J. Blom* incipiente tantum morbo, imprimis cum gummi arabico junctam, commendat, frustra que se eadem in morbo provento usum fuisse sincerus fatetur.


Praeter morbos nominatos cephalaeam quoque et prosopalgiam intermittentes, nullo remedio sanandas, *Salicina*, a 4 — 8. grana pr. d. bis de die exhibita, sublatae fuisse observationes *Pragae* factae testantur. —

Quod *dosim* remedii hujus attinet, non omnes observatores ejusdem sunt sententiae. *Miguel* 18 — 20, imo in nonnullis casibus 30 — 40 ejusdem grana ad febrim intermittentem sufferendam necessaria esse statuit. Asserit porro eandem, etiam tam grandi dosi sumtam, nullum ingratum caloris sensum in ventriculo causare, quem chinina sulfurica, minima etiam dosi sumta, evitare haud potest. Multo majorem *Salicinae*, quam sulfatis chininae, dosim ad febrim intermittentem debellandam necessariam esse *Stam* quoque et *Buchner*, item et observationes *Pragae* factae confirmant; nihilominus *P. J. Blom*, et post eum *Linz*, *Stegmayer* et alii *Salicinam* eadem cum sulfate chininae dosi desideratum exserere effectum, imo et eundem cum eo sensum inamoennm caloris in ventriculo provocare docent, adeo; ut nec inter dosim, nec inter actionem duorum horum remediorum, discrimen quoddam observare potuerint.

Quoad *tempus*, quo *Salicina* exhibenda sit. in genere hoc tantum dici potest: illam optime tempore apyrexiae, et quidem eo melius, quo brevius ante invasionem, propinari. *P. J. Blom* ad debellandam febrim intermittentem simplicem quotidianam, vel tertianam 20 illius grana, in IV. partes divisa; ad vincendam vero febrim quartanam 30 grana in VI. partes divisa adhibere consuevit, quas partes duabus aut tribus horis ante paroxysmum incipere, et omni una vel  $\frac{1}{2}$  hora unam ex iis sumere jubebat, quae consumptis paroxysmus vel penitus emanebat, vel vero revertebatur quidem, sed multo lenior, medietate etiam memoratae dosis facillime suffeendus. Illic tamen interdum dosim generalem in plures etiam partes, tempore apyrexiae omni  $\frac{1}{2}$  vel una hora sumendas, dividere solebat.

*Forma*, qua *Salicina* adhibeatur, optima est pulveris vel mixturae. In pulvere a *P. J. Blom* sequenti ratione praescribi solebat: a) contra febrim intermittentem quotidianam et tertianam: Rp. *Salicinae* gr. XV. Sacchari albi dr. II. m. f. pulvis, d. in doses aeq. XV. s. tempore apyrexiae omni I. hora I. pulvis sumatur; vel Rp. *Salicinae* gr. XVI. Sacchari albi dr. I $\beta$ . m. f. pulvis div. in doses IV. aequales, s. ante paroxysmum omni  $\frac{1}{2}$  vel I. hora unus pulvis sumatur. b) contra febrim intermittentem quartanam: Rp. *Salicinae* gr. XXIV. Sacchari albi unc. semis, m. f. pulvis, div. in doses XII. aequales, d. s. tempore apyrexiae omni hora I. pulvis sumatur; vel: Rp. *Salicinae* gr. XXX. Sacchari albi dr. II. m. f. pulvis, div. in doses VI. aequales, s. ante paroxysmum omni  $\frac{1}{2}$  vel I. hora I. pulvis sumatur. —Gummi arabicum, a scrupulo usque dr. II. memo-

ratis pulveribus additum, virtutem ejus augere videtur. — Individuis, debiliora digestionis organa habentibus, melius forma mixturae, in conubio cum extracto helenii et aqua quadam aromatica, exhibetur. Sic v. c. Rp. *Salicinae* gr. XII. Extracti helenii unc. semis, aquae destil. foeniculi unc. X. m. d. s. tempore apyrexiae omni hora uno cochleari cibario sumatur. — Praesente statu gastrico extractum Graminis virtutem ejus exacuit, sic praescribendum: Rp. *Salicinae* gr. XII. Extracti graminis unc. I. Aquae chamomillae unc. VII. m. d. s. omni hora uno cochleari cibario sumatur.



## Theses defendendae.

---

1. Salicina princeps inter remedia antifebrilia locum tenet.
  2. Ex neglecto Salicinae usu ingens in Hungariam redundat damnum.
  3. Cadavera diligenter lustret, qui in Anatomia proficere cupit.
  4. Conceptionis opus rationi humanae hucdum mysterium est.
  5. Affinitas adproprians male pro affinitate sui juris habetur.
  6. Conamina naturae medicatricis in morbis curandis sancte veneranda sunt.
  7. Internus lapidis infernalis usus mere empiricus est.
  8. Certa conceptionis signa nulla dantur.
  9. Remedia lythonthriptica nonnisi pia desideria sunt.
  10. Rheumatismus et Arthritis sunt morbi toto coelo diversi.
  11. Medicus Forensis in casibus dubiis parti I. faveat.
  12. Bonam educationem physicam infantibus dare princeps Reipublicae cura sit.
  13. Medicina in manu medici veri nominis perquam salutaris.
-

DIR

1971

